

SI PIGNORIS CONVENTIONEM NUMERATIO SECUTA NON SIT.

8.33.1

*Imp. Severus et Antoninus AA. Hilaro.*

Si pecuniam tibi non esse numeratam atque ideo frusta cautionem emissam et pignus datum probaturus es, in rem experiri potes: nam intentio dati pignoris neque redditae pecuniae non aliter tenebit, quam si de fide debiti constiterit, eademque ratione veritas servetur, si te possidente pignus adversarius tuus agere cooperit.

*PP. k. Sept. Laterano et Rufino cons.*

[a. 197]

8.33.2

*Imp. Alexander A. Peregrino.*

Si, ut nunc adseveras, nihil creditor numeravit uxori tuae quae pignus dedit, sed inanem extorsit cautionem, mendaci scriptura contra fidem veritatis obligari eius res non potest.

*S. sine die et cons.*